UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

## Paoletti, Agostino

## Coloniae Agrippinae, 1677

Ferria IV. post Dominicam Passionis. 31. Quis prædestinatus sit aut præscitus incertum est nobis. Ideoque justus semper timere debet ne damnetur, & peccator semper sperare ut salvetur. 3. Quia via ad ...

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

# SERMO XXXI.

# IN FERIAM QUARTAM DOMINICÆ PASSIONIS.

*Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. cap. 10.

1. MUltæ quidem ſunt paſſiones humanæ quæ inſtar numeroſi cujuſdam exercitus obſidione cinctam tenent cordis noſtri arcem, omnibus tamen aliis timor ſpecialiter prævalet; hic enim continuis congreſſibus illud expugnare explicatiſque in eo gloriæ ſuæ vexillis abſolutus ejus Dominus fieri contendit. Hic facta habens nomini ſuo è diametro oppoſita audacter & intrepidè humano cordi deſperationem comminatur, irreparabiles ruinas, illudque lethiferis inſultibus infeſtando, ad extremi præcipitii electionem reducit. Portò ut evadat timor hic victorioſus, non utitur arcubus, ſagittis, globis, baliſtis, tormentis bellicis, aut ignibus artificialibus, ſed hominis cor non cum aliis inſtrumentis bellicis aggreditur, quàm inani timore, ſuſpicionibus, trepidatione. Unde Celti cum Alexandro proteſtabantur, ſe in continuo poſitos eſſe timore ne Strabo l. 7. cælum ſuper eos rueret: *Hoc unum pertimeſcebant ne cælum rueret.* Attamen duos miniſtros continuò habebat ſtipendio conductos Sabel. l. 4. ap. Eborem da... fol. 43. qui ſcutum ſuper ejus capite continuò elatum tenebant: *Ne quid ſuperne caderet*, ac proinde domo egrediens, *Lectica nonniſi adoperta utebatur.*

2. Heliogabalus ex populi tumultu perterrefactus, totus tremebundus immundas inter Idem ibid. ſordes ſeſe abſcondit; ubi ab inimicis ſuis deprehenſus: *Vulneribus confectus turpem vitam turpiſſima morte finivit.* Sic quoque licet Nero Domitianum jam mortuum eſſe ſciret, tamen inſtar frondis alicujus non minus trepidabat, quàm ſi idem vivus etiamnum ſuperſtes In Polyant. fuiſſet; *Quaſi viveret Domitianus & adforet, ita trepidare cæpit, ut colore mutato ac voce amiſſa vix conſiſteret.* Ac proinde cor hominis utique timoris impetui cederet, & in deſperationem adigeretur, niſi ex animatione ſpei novæ ei vires ſubminiſtrarentur: *Sola ſpes hominum miſerias conſolari ſolet;* ſcribebat Cicero. Ipſa eſt quæ ſpiritum puſilanimibus ſuggerit, vigorem viribus reſtituit, & audaces miniſtrat vacillantibus animos. Unde Apoſtolus dicit: *Fortiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendum propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus, ne in mari hujus ſeculi frangamur ſcopulis adverſitatum.* Subjungit S. Anſelmus. O quam inconſideratus tunc Julius Cæſar erat, quando apertè dicere non dubitavit: *Satius eſſe mori ſemel, quàm aſſidua ſpe & expectatione pendere.* Unde ſi in lectulo, velut in aperto Martis campo infirmitas aliqua velut dira quædam Bellona in certamen te provocet, & anguſtiarum dolorumque copiis tecum confligat, generoſa & intrepida ſpes fortiora in tui defenſionem committit, qualia olim Judith & Jael pro ſua gente ſalvanda patrarunt: *Nihil eſt efficacius ſpe ad ſublevandam hominum laſſitudinem*, dicebat Appianus. Quod ſi impetaris ab indeclinabili impetu fatalis mortis, poſt fortiora mænia ſalvare te non poteris, quam poſt ea quæ fabricata ſunt ex ſpei invictæ lapidibus, verificando de te illud veterum ſolemne adagium: *Ægroto, dum anima eſt, ſpes eſt.* Quodſi planetæ inter ſe adverſum te conjurent, efficiantque ut hic vel ille indignantis vel adverſitatis fortunæ incidat deliquium, ſi tamen vel unica ſtella ei propitia talem arriſerit, ſpem ſuam ad eandem conſtim dirigit: *Spes ſervat afflictos*, minimèque

poſſi-

poſſibile eſſe cenſens ſe à miſeriarum Phalangibus ſubduci, aut è procellarum periculis ſalvari poſſe, prouti ſalvatus eſt Iſraelita è mari rubro & manibus Pharaonis, juxta Politici illius doctrinam qua dicitur: *Spes habet eſſe circa bonum poſſibile.* Rhodius quoque in ſubterraneæ cuſdim cavernæ ſeu ſpecus habitationem per tyrannicam impietatem recluſus, *dum amputatis manibus & fœdata vulneribus facie*, ab amicis ei ſuaderetur ut ſuum per mortem effugium tentaret: *ut inedia ſibi malorum finem quæreret*: liberè reſpondit: *Cuncta ſperanda ſunt*, oſtendens per hoc ſe exactum eſſe obſervatorem illius à Seneca emanantis moniti quo dicitur: *ſpes eſt ultimum diverſarum rerum ſolatium.* Tametſi etiam regio Ezechiæ vertici mors Divina juſtitia mediante hiſce verbis. *Morieris & non vives*, comminata eſſet, is tamen ſuam ob hoc non deſperavit ſalutem, ſed facto ſibimetipſi animo. *Converſus ad parietem oravit*; ac tandem ab Iſaia Propheta mortis ſententia revocata, & vita ei prolongata fuit: *Adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Mulier denique Evangelica, licet à Medicis deſperata haberetur, ſibi ipſi tamen non defuit, ſed ſpe ſuadente animum reſumpſit, & antidota ſalutifera in fimbria Salvatoris quæſivit: *ſi tetigero fimbriam veſtimenti ſalva ero.*

3. Sunt igitur nonnulli qui ſperent, ſunt qui timeant, ſunt ſibi fidentes, ſunt & expaveſcentes, ſunt qui conturbantur per timorem, ſunt denique qui per ſpem confortantur. Scio quidem quod timor ut plurimum in peccatorum pectoribus habitet, ubi tanquam in propria reſidentia tremulus degit, neſciens ex qua parte ſibi fugiendum ſit ad evitandos ſeveræ juſtitiæ ictus: Scio itidem, quod ſpes cum tranquilla pace in ſinu juſtorum regnet, propter inſignem quam à cæleſti remuneratore præſtolantur mercedem: Veruntamen cùm videamus quod amor & mors ſua inter ſe arma ſæpè commutant, ita ut Cupido nonnunquam falce morti propria utatur, mors verò fulminibus: demus etiam eodem modo hoc mane juſto timorem, peccatori verò ſpem, ita ut juſtus licet de gregre Chriſti ovis quædam ſit, in earum numero contenta de quibus Evangelium loquitur dicens: *Oves meæ vocem meam audiunt*, ſemper tamen damnationem expaveſcat: E contra verò peccator, qui *ſecundùm præſentem juſtitiam*, cum Propheta dicere poteſt: *Erravi ſicut ovis quæ periit*, ſalutem ſuam continuò ſperet. Hæc namque media ſunt valdè opportuna ad hoc, ut tam hi quàm illi oves ſint & maneant pertinentes ad gregem Chriſti, prædeſtinatæ ad paſcua gloriæ, atque in earum numero comprehendantur, de quibus Dominus dicit: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt, in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* *Ioan. 10.*

4. *Oves meæ vocem meam audiunt*: Tametſi peccator ob actiones quas committit, & ob vitam diſſolutam quam agit, credatur nõ eſſe de grege Chriſti, nihilominus ei nequaquam deſperandum eſt, ſed ſemper in gratia Dei confidere debet, quæ nunquam deeſt illi, qui facit quod ex parte ſua ab eo requiritur. Unde natum eſt illud inter veteres uſitatum Proverbium *Nil deſperandum.* Et Seneca pariter conſulit nobis, ut nulla ratione in deſperationem nos præcipitari ſinamus, dum ait: *Nemo deſperet.* Inter alia quoque monita, quæ Anaximander militiæ deditis præſcripſit, unum fuit, ut ſcilicet non obſtante quod quis ſe inimico ſuo viribus ſuis inferiorem videat, nunquam tamen ſe animo cecidiſſe monſtret, modicum quidem timoris & rationabilis metus ſibi reſervet, ſed non timorem tantum unde vileſcat, aut ignavum & puſillanimem ſe eſſe probet, aut per quem ad deſperationem, ab illa verò ad turpem fugam ineundam, vel ad dedendum ſe inimicorum manibus cogatur, *ſi quando trepidatione, ut fit, orta, mœror aliquis militum animos occupaſſe videatur, ſive quia hoſti acceſſerunt auxilia, ſive quod alia re potior illius conditio videatur, tum maximè expedit Imperatori hilaritatem atque lætitiam præſeferre.*

*Paul. Manut. in adag.*
*Seneca in Thieſte.*
*Blondus de Rom. triumph.*
*Iob. 7.*

5. Vita noſtra ex mente Jobi nihil eſt aliud quàm continuum quoddam prælium: Dicit enim: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Unde S. Gregorius ait: *Et quid appellatione militia niſi contra hoſtes exercitium deſignatur?* Unde ſi exercituum infernalium Dux generalis infeſtiſſimus noſter inimicus, nos per potentem aggrediatur tentationum exercitum, noſque nunc obſedendo per copias pedeſtres in ſeptem peccatorum mortalium turmas ſubdiviſas, nunc per peſſimorum ſpirituum ſuorum equitatum nos infeſtando, concupiſcentiæ igne offendat, nunc ſuperbiæ fumo moleſtet, nunc infeſtet per avaritiam, nunc injurias nobis inferat per odium, aut per invidiam faſtidia, nunc ad eripiendum nobis charitatis vexillum, aut demo- *D. Greg. ibid.*

demoliendum timoris Dei nos tutantem aggerem, mille nobis machinetur inſidias, nunc liberum impediat nobis tranſitum ad præſcindendam nobis Sanctiſſimorum Sacramentorum annonam, nunc denique obſtet, quò minus nobis ſubveniant ſperata Divinæ gratiæ ſubſidia, animus tamen noſter propter hæc omnia minimè dejici, ſed corde intrepido & generoſo iiſdem reſiſtere ſeque potenter opponere debet; Imò tametſi victi in illius poteſtatem incideremus, nobis tamen minimè diffidendum eſt, quin potiùs ſperandum eſt firmiter, Deum ad nos è tali periculo eximendos Divinæ gratiæ ſuæ nobis miſſurum eſſe auxilium. Et quid? Num fortè nos primos eſſe exiſtimatis, qui ad eos uſque terminos fuerimus reducti? Oculos igitur veſtros in quendam Publicanorum Principem conjicite, reſpicite Magdalenam publicam peccatricem, conſiderate publicis homicidiis, & furtis ac rapinis deditum latronem, veſtraſque cogitationes in Saulem Chriſtianiſmi perſecutorem dirigite: *Si impius es cogita Publicanum: ſi immundus es, attende ad meretricem: ſi homicida es perſpice latronem: ſi iniquus es, cogita blaſphemum; nam quid eſt peccatum? tela aranea, quæ vento flante nuſquam comparet.*

*Chryſoſt. hom. 2 in Pal. 59.*

6. Quid igitur expaveſcitis? Nunquid regium Prophetam auditis, qui de Divina miſericordia loquens, ejuſque magnitudinem conſiderans, eandem prædicabat dicens? *Homines & jumenta ſalvabis Domine?* Homines & jumenta? Quod ad homines attinet, tranſeat quidem, quia ſalutis capaces exiſtunt, veruntamen neſcio quomodo verba hæc de jumentis animalibus nimirum rationis expertibus verificari poſſint. *Quid eſt homines & jumenta? Rationabiles utique & irrationabiles,* exponit S. Ambroſius. Sanctus autem Athanaſius per jumenta intelligit peccatores, qui à beſtiis parum admodum diſcrepant. *Homines juſtos & rationales, & jumenta brutos homines, & carnales ſalvabis Domine, dum tamen pœnituerint.* Quodſi dicere Propheta vellet; Eſto peccator aliquis ſit adeò enormis, ut præter vultum & externam hominis figuram nihil in eo reliquum remanſerit, is tamen neutiquam deſperet, quoniam & ipſe facilè transformari poterit in ovem gregis Chriſti, & ſalvari; *Dum tamen pœnituerit;* concludit Athanaſius; Tu igitur ea quæ ex parte tua requiruntur facito, quod reliquum eſt Deo committe, & nequicquam time.

*Pſal. 34.*

*Ambr. in Pſal. 35. fol. 347.*

*Athan. in Pſal. 35.*

*Ludolph.* 7. Ludolphus Carthuſianus de duobus religioſis magnis ſervis Dei refert, quod unus illorum alterum rogaverit, ut Deum pro ſe exoraret, quatenus ſibi revelare dignaretur, an damnatus eſſet, an verò prædeſtinatus? Qui proinde ut ſodalis ſui voluntati ſatisfaceret, in orationibus & jejuniis maxima qua poterat cum frequentia & fervore ſe exercebat; donec tandem Deus illi, ſocium ſuum revera damnatum eſſe revelaret; quod cùm admodum ei diſpliceret, funeſtum hoc ſodali ſuo referre nuntium primo quidem minimè expedire cenſuit, poſtea verò precum ſuarum inſtantia ſtimulatus apertè Deum ſibi eum de præſcitorum eſſe numero, revelaſſe dixit. Et quid hic Religioſum hunc infauſto hoc nuntio audito feciſſe exiſtimatis? Fortè diſſolutæ & licentioſæ ſe vitæ addixit? aut deſperavit? *Ille autem hoc audiens & ſcripturas intelligens, ſtatim reſpondit: Benedictus Deus, nec tamen ſic deſperabo, ſed pœnitentiam quam per ingreſſum Religionis aſſumpſi, de cætero duplicabo & triplicabo, donec gratiam & miſericordiam apud Deum altiſſimum, qui pius eſt, inveniam.* Audite quid tandem evenerit: Poſt aliquot elapſos dies eidem Religioſo, ſodalem ſuũ de electorum numero eſſe relevatum fuit: *Et poſt multos dies iterum fratri prædicto divinitus revelatũ quod ille ille frater de numero ſalvãdorũ eſſet.*

8. Enimverò huc adſis ô peccator, te namque convincere decrevi, ſi tamen veritatem mihi ingenuè faſſus fueris. Dicito igitur quid metuas, aut quid formides: Timendum quidem tibi eſſe nequaquam inficior, non tamen adeò vehementi timore corripi debes, qui omnes prorſus terminos excedat, teque in deſperationem uſque adigat. Etenim ſi omnes illi qui modo in cœlis ſalvi exiſtunt, hic in terris tanta fuiſſent ſanctitate prædìti, quod Deum nunquam offendiſſent, nec ſtatum amiſiſſent innocentiæ, juſtam tibi cenſerem eſſe exceſſivæ formidinis tuæ cauſam: nunc verò putaſne Matthæum quendam, vel Magdalenam, Petrum, latronem, & tot alios quos mente concipere potes, priuſquam ad peragendam pœnitentiam inducerentur lectiſſimos fuiſſe ſanctitatis eximiæ conſtantes flores? Minimè; Imò peccatores fuêre, & tamen aſſecuti ſunt æternam ſalutem; atque ideò donec ſpiritum attrahis noli deſperare, quin tandem finaliter in ultimo momento habiturus ſis tempus, & campum ſatis apertum redeundi ad Chriſti gregem, & evadendi in ovem quæ accenſeri mereatur in numerum electorum. Quod ſi mihi credere renuis, audi

ſaltem quid hac in re tibi dicat S. Cyprianus: *Ne*, inquit, *deſperarent etiam in ultimis conſtituti, feſtinans in adjutorium illicò adeſt, & re in arcto poſita, non differt beneficium, ſed repentè indulgentiæ celeris documentum ejuſdem ſtatuit exemplum latronis, inquiens: Hodie mecum eris in Paradiſo; latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam mutavit in martyrium & ſanguinem in baptiſmum.* Quod ſi filium Dei eò præcipuè in hunc mundum veniſſe ignorares, ut ovem perditam etiam inter ſpes dolorum, humanarumque pænalitatum ſpinas quæreret, timori & exceſſivæ tuæ condeſcendere poſſem, nunc verò notum tibi affatim eſt, ab ipſomet claré ſatis enunciatum eſſe, ſe amore peccatorum de cœlo in terram hanc deſcendiſſe *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Audiſti etiam in regno cœlorum meretrices & Publicanos ipſis quoque juſtis eſſe præferendos: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*, id eſt, *majoris meriti erunt*, exponit Dionyſius Carthuſianus *in Eccleſia militante, vel utriſque gloria in triumphante, quàm vos*, atque non alio fine, quàm *ut redeant diſperſi, & reparent derelicti*, inquit S. Cyprianus.

9 Verùm enimverò videor mihi te videre ſuſpenſum & ancipitem, dum adhuc timere pergis, ne culpæ tuæ ſint ſine numero, nec ingentem gravitas aut enormitas poſſit, quæ iuſtitiæ æquiparari valeat, ac proinde ſpes tua fragilis inſtar folii aut ſtipulæ, quæ minimo vento huc illucque rapitur & volvitur, aut ſicut umbra quæ luce apparente diſparet, aut velut ſomnium quod inter tenebras evaneſcit, vel quaſi tamquam fumus qui in aëre diſpergitur, vel ſicut ſpuma maris, quæ in littore conſumitur vel tanquam ædificia in arena, aut palatia in aëre fabricata, ipſamque repugnantiam impoſſibilitatis matrem pro objecto habeant. Veruntamen ô peccator, ſiſte pauliſper. Nunquid difficilius opus futurum eſſe judicares, è petra aquam educere, truncos aridos ad virorem floreſque edendos diſponere, ſiccis pedibus liquido mari inambulare, ignem in auram ſuavem tranſmutare, fluvios integros exſiccare, montes progredi facere, mortuos ſuſcitare & perfectè loquentes reddere. Et tamen certæ horum omnium in ſacris Literis inveniuntur experientiæ & vivæ memoriæ. Denique ô peccator crede mihi, hoc tuum deſperare nihil eſſe aliud quàm laqueum Judæ collo & manibus ereptum tuomet proprio collo injicere & in-nectere velle: è contra verò ad Divinam clementiam poſt commiſſa peccata per actus ſubmiſſionis & pœnitentiæ confugere, eſt de venia cum Davide, Petro, & Magdalena conſequenda nos certos atque ſecuros reddere. Audi Poëtæ illius, quem melius Prophetam eſſe affirmatem, hac de re prudens arbitrium:

*Spes mala cuncta levat, vinumque educit ab undis.* Iacob. Bill. lib. 1 Sac. Anthol. n. 54. fol. 84.
*Mellaque de rigida pinguia nube trahit.*
*Spes quoque ſancta piis eſt ignea nocte columna.*
*Intus quæ nullus frangitur icta malis*
*Chriſticolæ ô ſortem populi bis terque beatam*
*Rebus in adverſis cui datur iſta comes!*
*Hac duce nam quivis læta ſubit aſpera mente*
*Vivit & in mediis ut ſalamandra rogis.*

Quod ſi igitur tot eventus qui ſenſui prorſus repugnare noſcuntur faciles effecti fuerint Divinæ gratiæ aura aſpirante, cur de tua ſalute velut impoſſibili deſperare velles? Num fortè ideò hac de re diffidis, quia nimirum cœli lucrum arduum nimis & difficile eſſe credis: Ad tuas utique partes aſſenſu mea accederem, ſi ad conſequendum regnum cœlorum opus eſſet nobis oculos eruere, aut pectus dilaniare, lacerare membra, aut viſcera noſtra evellere, prout olim ad ſe Dæmoni gratos adhibendos facere ſolebant Baalitici ſacerdotes, qui *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis donec perfunderentur ſanguine*: aut ſi te aut filios tuos cogeteris in flammas præcipites agere ſine ullo inde percepti ſigno doloris, prouti ab impietate Dæmonis ejus imperatur ſequacibus: *Et ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igne in holocauſtum Baalim*: Hæc inquam ſi neceſsè eſſet facere, tuæ opinioni acquieſcerem: nunc verò ipſemet Deus manifeſtè ſatis ſe ejuſmodi à nobis crudelitates minimè expetere declarat, dum ait: *Quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Vult quidem ut tu eum tibi emas. *Venalem habeo magni pretii*, ſui autem pretium, quo emendus eſt à te, tibi remittit; expendas parum vel numeres ei multum prout tibi placuerit: *Tantùm valet quantùm habes*, inquit S. Gregorius. Vide igitur nunc an ex hoc capite te in deſperationem præcipitare cogaris; Verum enimverò dices fortaſsè, peccator ſum, *Non habeo in bonis*; Audi igitur Sanctum Auguſtinum qui te ab hoc metu liberat, dum ait tè Deum ſibi comparare poſſe per unicum actum voluntatis, qui in te

Ierem. 19. Auguſt. in Pſal. 93. fol 240. col. 2. l. L.

Greg. hom. 5. de S. Andr. fol. 108. col. 2. lit. E.

& à te eſt ; non eſt igitur opus ut illum alibi quæras ubi non potes, ſufficit quod velis, ſi poſſe in tua non ſit facultate poſitum, ſufficit quod ſuppleas defectum tuum volendo, ideoque per unicum ſimplicem voluntatis actum lucratis cœlum, ejuſque poſſeſſorem te facere poteris: *Etſi non potes effectum, ſaltem tribuas affectum.*

*Aug. ap. Alb. Patav fer. 4. ſerm. 8.*

10. Enimverò ut poſito omni timore & formidine per viam ſpei ad aſſecutionem æternæ ſalutis inambulare poſſis, eandem tibi ſubmotis & ſublatis è via omnibus offendiculis nonnihil complanabo. Audi igitur, num facilius aliquid inveniri poſſit. Idem igitur ille Deus qui præmia & pœnas una eademque bilance ponderat, idem inquam illum qui egeno alicui in ſuo nomine cyathum aquæ frigidæ porrigit debita quoque mercede ſua præmia repromiſit: *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Videamus autem priùs, qualenam ſit hocce præmium, & poſtea qualiſnam pro illius aſſecutione adhiberi labor debeat: *Non perdet mercedem ſuam*, id eſt, dabitur illis in præmium regnum cœlorum; Ideoque illis qui pietate moti egeno ſitienti potum dederint, dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Verùm quodnam eſt regnum illud, quod in remunerationem daturus eſt illis, qui potum ei in egenis ſubminiſtrarint? Interrogate idipſum à S. Patre noſtro Auguſtino, hic etenim reſpondebit vobis, non eſſe aliud quàm regnum cœlorum: *Pacatiſſimum regnum ubi ſine hoſte regnabitur.* Quis autem adeò erit fortunatus, ut magnum hocce præmium conſequi poſſit? cui tanta eveniet felicitas? quis hac remuneratione donari merebitur? Num fortè is qui in deſertum ſecedens, aliis ſe cibis non nutrit, præterquam radicibus & herbis & aqua pura: vel qui continuò genuflexus diſciplina acerbiſſima carnem meam macerat, vel rebellem ſenſualitatem per jejunia rationi ſubigit? aut qui ad exemplum & imitationem Alexandri, omnes facultates ſuas in pauperum turmas diſpenſans, aliud ſibi non reſervat, quàm ſpem in divina providentia collocatam? aut qui pro fide conſervanda, vel ad agendas debitas Deo Creatori pro tot receptis beneficiis gratias collum ſuum crudelis carnificis diris ictibus generosè ſubmittens, vitam ſuam pro Deo prodigit? Et quidem ſi quis hæc omnia verè & realiter præſtitiſſet, hoc totum attamen parum eſſe cenſeretur reſpectu magnæ noſtræ obligationis, qua ei obſtricti ſumus, nec tantum per omnia illa opera nobis comparaſſemus meritum, ut cœlum ex juſtitia prætendere aut nobis comparare poſſemus? Et tamen acquieſcit libenter, ut quaſi, imò verè pro nihilo illud comparare valeamus? Quid enim pro illo comparando minùs hauſtu aquæ frigidæ dari poſſit? *Quicunque potum dederit calicem aquæ frigidæ.* Sine dubio parum id eſſe dicetis, veruntamen ſi attentè me auſcultaveritis, clarè oſtendam id longè minus eſſe, quàm vobis fortè nunc imaginamini; tria igitur hæc verba benè & maturè ponderemus, *Potum aquæ frigidæ.* Non petit ut detur multum, verbi gratia integrum vas aliquod liquore potabili plenum, quia videri nonnemini potuiſſet, ſe aliquam in ea invenienda vel portanda ſentire difficultatem, ac proinde dicit. *Potum*, quaſi diceret, ſufficit unicus ſcyphus, & unicus duntaxat hauſtus: ſed cujus generis erit hic potus? Num fortè vinum eſſe debebit? Minimè; Dicere enim poſſes te illud non habere, ac proinde illud pretius tibi cum ſumptu & moleſtia comparandum eſſe; ut igitur ab hoc onere te liberet, ſatisfieri ipſi poteſt, per potum vel hauſtum *aquæ*, quæ nullius eſt pretii, & paſſim poteſt haberi. Vult denique ut hæc aqua ſit frigida, ne opus ſit nobis conquirere prius ligna, unde ignis ad calefaciendum accendi poſſit. Nunc igitur videamus, quo modo cœlum à nobis acquiri poſſit, ut ſalvemur; Modico certè id fieri poteſt, nullo penitus ſumptu, nullo labore aut moleſtia. *Potum aquæ frigidæ*, inquit Sanctus Auguſtinus. *Et quare frigidæ? Ne fortè ſe poſſit aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut certè dicere ſe vaſculum ubi aquam calefaceret, non habere.* Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait: *Etiamſi frigidæ aquæ calicem dabis, quam rem nullo impendio facillimè facies, erit tibi merces omninò repoſita.* Imò tametſi etiam non eſſet in tua facultate poſitum dare calicem aquæ frigidæ, ſolo & unico voluntatis tuæ affectu ſatisfacere poteris. *Ubi nota* (inquit Gloſſa) *Deum magis ad pium affectum dantis aſpicere, quàm ad quantitatem rei exhibitæ.* Conſidera igitur an tibi deſpondendum ſit animo, dicendo, difficile eſſe cœlum tibi aquirere & ſalvari: te namque metipſum hac in re judicem pariter & teſtem eſſe volo.

*Matth. 10.*

*D. Auguſt. in Cat.*

*D. Tho.*

11 Obſtupeſco dum conſidero, quod S. Petrus Apoſtolus dum in monte Thabor conſtitutus, facultatem ſibi ab unigenito Dei Filio dari peteret ſuis ſumptibus, ſuaque induſtria in eodem monte ædificandi tria tabernacula, ut ibi ad mortem uſque commorari, illaque gloria, cujus tanquam viator capax eſſe poterat, gaudere & perfrui poſſet, quod inquam eam ob cauſam a ſacris Evangeliſtis reprehendatur, & ignorantiæ arguatur, tanquam qui extra ſe poſitus & à mente alienus quid diceret ignoraret: *Rabbi bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula.* Sanctus Marcus S. Petri diſcipulus aſſerit: *Non enim ſciebat quid diceret* Cui Sanctus Lucas hiſce verbis pariter ſubſcribit dicens: *Neſciens quid diceret.* Imaginari etenim mihi non poſſum, quem S. Petrus commiſerit defectum ob quem eo modo reprehendi merebatur. Et tamen dicit Sanctus Ambroſius: *Quamvis neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura devotio fructus pietatis accumulat.* Porrò Jacobus de Valentia, verba illa Moyſis quæ habet in Cantico ſuo, quod mox ut una cum populo ſuo mare rubrum ſalvus & incolumis pertranſiiſſet, Deo pro tam inſigni beneficio gratias debitas acturus compoſuit, optimè ponderat. Loquens igitur cum Deo dicit: *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ,* quaſi diceret: Probè ſcio ô mi benigniſſime benefactor, hunc populum qui me conſequitur, à te in montem hæreditatis tuæ tandem introducendum eſſe. Vult igitur præcitatus interpres Moyſen hoc loco prophetaſſe, & verba hæc de Chriſto vero Dei Filio intellexiſſe, qui reſuſcitatus glorioſus & immortalis omnes animas è limbo in gloriam cœleſtem, in montem hæreditarium beatitudinis poſtquam mare Paſſionis ſuæ purpureum per effuſum in eadem pretioſum ſanguinem ſuum pertranſiiſſet triumphabundus introduxit: *Sicut tunc Moyſes fuit dux illius populi, & introduxit illum in terram promiſſam: Ita poſt Incarnationem & Paſſionem IESV, poſtquam eduxit & liberavit ſanctos Patres de limbo, fuit dux eorum, uſquequo introduxit eos in gloriam cœleſtem.* Hoc totum optimè dicitur, ſed velim obſervetis Moyſis myſticum loquendi modum, dum cœlum & gloriam æternam Paradiſi montem hæreditatis appellat *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis, id eſt, in gloriam cæleſtem* Enimverò ſi attentè ſuper Pſalmos Davidicos reflexeritis, in iis quoque gloriam cœleſtem ſub nomine hæreditatis repræſentari invenietis: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* Sanctus Athanaſius explicat: *Hæreditabunt terram viventium, & delectabuntur atque gaudebunt in multitudine ſupernæ pacis futuri ſæculi quia eſt requies perfecta.* Imò S. Paulus Apoſtolus illam quoque hæreditatem nominat: *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Circa quæ verba Ægidius de Columna dicit: *Hæreditas de qua loquitur hic Apoſtolus, eſt ipſa divina fruitio & ipſa æterna beatitudo: erimus ergò hæredes Dei, quia adipiſcemur illam æternam gloriam.* Quid autem hæreditas cum hiſtoria commune habet, & quamnam cœlum cum hæreditate proportionem habet? Audite hac in parte animi mei ſententiam. Hæreditas ſine ullo prorſus labore acquiritur. Quando igitur Moyſes dixit: *In monte hæreditatis tuæ,* hæc fuit ejus intentio, ut ſcilicet declararet benigniſſimum Deum cœlum nobis daturum eſſe, ſine ullo noſtro labore ad eum modum, quo noſtra nobis hæreditas ſine labore cedere debet: *Vides clementis Domini bonitatem, non vult te inducere ad laborem;* inquit Origenes. Meritò igitur Evangeliſtæ Petrum reprehenderunt, optimè enim promeruerat ut de eo diceretur: *Non enim ſciebat quid diceret.* Quia laborare volebat ad hoc ut Deo frueretur, fabricando tabernacula; Ac proinde ſacri Evangeliſtæ eam ob cauſam eum reprehendentes nobis fortè inſinuare voluerunt, adeò nobis facilè eſſe pervenire ad gloriæ cœleſtis montem, ut nullo nobis labore ſit opus, adeò ſi quis ſe eò ſine labores ſubire velle diceret, neſciat verè quid dicat. Ipſemet namque Deus, ut eos ab omni labore eximeret, Paradiſi tabernacula nobis fabricavit: *Non vult ut ipſe tibi facias tabernaculum, jam te ad præparatam ducit habitationem.*

Pſal. 16. Athanaſ. ibid. Rom. 8. Ægid. colu. ib. Origen. hom. 7. Orig. ibid.

12. Punctum iſtud congruè ex eò quod de Lazaro mendico legitur, confirmatur: Hic etenim in miſeriarum ſuarum luto inſignem & inæſtimabilem veræ felitatis gemmam invenit. Ipſe namque bonorum terrenorum inops, dives erat autem gratiarum cæleſtium; corpus habebat ulceribus plenum: animam verò ſanctitatis auro egregiè exornatam: In membris ſuis patiebatur nuditatem, cùm tamen ſpiritus ejus chlamyde verè aureâ eſſet amictus, panis indigus erat, ſed omnium bonorum cœleſtium opulentus; Ab Epulone

Kkk 2 con-

contemnebatur, magni autem æſtimabatur apud Deum: Canes cum majori quàm homines affectu ei aſſiſtebant, qui tamen ab obſequentibus ei Angelis erat circumdatus, qui certatim ei ſervire ambiebant, ac proinde non unus ſed integer Angelorum chorus de cœlo ad eum Paradiſum deferendum deſcendit: *Factum eſt, ut*
Luc. 16. *moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Unde Chryſologus: *Ad portandum unum pauperem nonne ſufficiebat unus Angelus.* Imò verò: Veruntamen plures accurrere voluerunt, ut *chorum lætitiæ facerent*, vel quia *Gaudebant tantum onus tangere.* Sancti verò Joannis Chryſoſtomi os verè aureum dicit, eum ideò ab Angelis in ſinum Abrabæ fuiſſe delatum, ut tantò minùs laborando eò perveniret, quàm ſi pedum propriorum adhibito labore eò conſcendiſſet: *Ne ſaltem ambulans laboraret portabatur ab Angelis.* O quam facilis aſcenſus, Nunc igitur à te, ô peccator ſcire velim, an hactenus addactæ rationes & ſacræ hiſtoriæ tibi ſufficere videantur, ut convincaris tibique perſuadeatur, nullatenus tibi de tua ſalute deſperandum eſſe, ex quo audis adeò facili negotio hominem ſalvari poſſe; ut ſi deinceps temetipſum deſperando condemnes, neceſſum ſit, ut cum rubore & verecundia Divinam admiteris benignitatem, quæ adeò facilem ad ſalutem perveniendi viam tibi ſtravit, & temetipſum coarguas, qui ultrò citroque imò ex dedita opera te in perpetuum excidium præcipitare voluiſti, verifi-
Matth. 7. cando de tua perſona; verba illa Evangeliſtæ: *Perditio tua exte.* Verum, inquies, ſi ita eſt, ut hactenus expoſuiſti, cur igitur Chriſtus di-
Chryſoſt. ib. hom. 39 xit: *Arcta eſt via quæ ducit ad cœlum?* Reſpondet tibi Chryſoſt. *Arcta eſt quando videlicet deſidia, quando ignavia diſſolutus es.*

13. Quid igitur nunc dicis, num fortè alius menti tuæ ſcrupulus vel difficultas reliqua erit? Imò verè: Neque enim ô Pater inficiari poteris, quod ad ſalutem & cœlum obtinendum neceſſaria ſit Sanctorum præceptorum obſervantia. Id verum eſſe negare non poſſum, at verò nunquid ob eorundem obſervantiam expaveſcis? Si ita eſt, meritò te vili animo præditum eſſe dixero, utpote qui umbras formidas, & à picturis terreris. *Trepidas, ubi non eſt timor.* Divina præcepta ſunt veluti Chamæleontes, hi enim præter ſolum nomen nihil in ſe magnum habent aut terrificum, & hæc nullam ſecum difficultatem aut onus adferunt, præter ſolam externam apparentiam. Verum quidem eſt, quod præcepta appellentur juga, ſed levia valdè & agilia. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Unde Chryſoſt. ait: *Nolite igitur pertimeſcere, ſuavitatis enim eximiæ plenum.* Cur obſecro factũ eſſe putas, quod Chriſtus præcepta ſua nominaverit onus leve. *Onus meum leve:* etenim verba hæc aliquam in ſe implicantiam & contradictionẽ involvere videntur, ſiquidem onus levitati contrariiſſimũ eſt: ſi igitur præceptũ grave ſt, quando leve eſſe dicetur, aut ſi leve eſt, quomodo grave eſſe dicitur, duo contraria de uno eodemq; ſubjecto verificari minimè poſſunt: *Onus appoſuit, & leve adjecit*, inquit Chryſoſt. ad inſinuandum, quod licet tibi videantur præcepta gravia, in ſemetipſis tamen ſuavia & levia ſint, & omninò contrario modo ſe habeant ab eo, quo à te judicantur. Audi Chryſoſtomũ: *Quod ſi adhuc jugum ac onus audiendo formidas nimium, atq; perhorreſcis, non naturæ rerum hujuſmodi timorem ſed ignaviæ tuæ totum attribuas.*

14. Arca Dei à Sacerdotibus & Levitis à domo Obededom in domum Davidis tranſlata fuit; Dicit autem Sacer textus: *Cumque adjuviſſet Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes.* Verum quonam modo Deus in portanda arca adjuvabat Levitas? Num fortè in propria perſona ad eos acceſſit? aut Angelum aliquem ad eos miſit? Lyranus reſpondet: *Dicunt Hebræi quod iſtud adjutorium intelligitur per hoc, quod Arca portabat ſeipſam, hoc eſt, quod divina virtute ſic portabatur, quod Levitæ portatores ejus nullum pondus ſentiebant* Qualenam paradoxum eſt iſtud? Num igitur a[illegible]ca fortè adeò gravis & ponderoſa erat, aut Levitæ adeò erant viribus debiles, ut ad eam portandam fuerint inſufficientes, ut proinde opus fuerit, ut Deus quodam operaretur miraculum tollendo gravitatem & eam efficiendo levem? O inſigne hac i[illegible] re latens myſterium? Legatis lib. 2. Paral. ibi namque invenietis, quod intus in arca conſervatæ fuerint duæ tabulæ Legis, in quibus Dei continebantur præcepta: *Nihil erat aliud in arca, niſi duæ tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Iſrael egredientibus ex Ægypto.* Ecce vobis hujus rei cauſam, quare *Levitæ portatores ejus nullum pondus ſentiebant.* Ad inſinuandum nobis, quod non arca, ſed præcepta Dei inibi recluſa levia fue[illegible]int, omniſque ponderis expertia, adeò ut in iis portandis & obſervandis nullo ſit opus labore. Hinc eſt quod David Rex, cùm Deo

de iis præceptis quæ mundo dederat, diſcurrens dixerit: *Qui fingit laborem in præcepto*: Enimvero multi per *fingere formare* intelligunt. Ita Cicero de apibus mellificantibus loquens ait: *Apum examina fingunt favos*; Et S. Auguſtinus ſuper eundem locum dicit: *Qui formas laborem in præcepto*: Et quidem tametſi etiam in præceptis Dei aliquid ineſſet oneris, difficultatis & laboris: *Eſt tamen ſiliqua laboris ad requiem ſempiternam*. Veruntamen verbum hoc *fingere* in eo velim ſenſu, quem apertè ſonat, accipiamus, tunc enim videbimus Pſalmiſtam dicere voluiſſe, quod divinis præceptis aliqua quidem difficultas & labor ineſſe videatur, cum tamen reapſe nil aliud in iis ſit, quam ſumma facilitas & levitas. Unde S. Gregorius Papa: *Dura & aſpera videntur, quæ à Domino præcipiuntur*. Quibus verbis ſe conformat atteſtationi S. Joannis nos aſſecurantis, quod divina præcepta obſervatu facilia ſint: *Mandata ejus gravia non ſunt*. Id quod nullo alio fine dixit, quàm ut efficeret ne peccatores eorum obſervantia deficerent: *Ne ſarcinam eorum horreres* (exponit Cajet.) *tollit ab eis quod ſunt onerosa*.

15. Idemmet Rex David præceptorum ſuavitatem celebrando ſatiari non poterat, eaque facilia eſſe millies coram Deo eſt proteſtatus: *Latum*, inquit, *mandatum tuum nimis*; id eſt, juxta expoſitionem Cardinalis Hugonis: *Facilè facilius mandatum charitatis & quaſi nihil latius*. Quidem quamobrem regium Prophetam id dixiſſe exiſtimas? Ob nullam aliam cauſam, quam ne tu confundaris, tuumque animum in eorundem obſervantia minimè deſpondeas, & conſequenter ad ſuggerendam tibi firmam ſalutis acquirendæ fiduciam: *Et qua ratione latum mandatum?* (interrogat S. Amboſius, & reſpondet) *Ne nos coarctaremur anguſtiis mandatorum*: *Ambulemus ergo in Dei mandato, quia ſatis latum eſt*. Verum ſile ô peccator, vix enim labia movere, vel os tuum aperire, incipis cum ecce perfectè mentem tuam aſſequor: ſiquidem hanc veritatis infallibilis ſententiam *arcta eſt via quæ ducit ad vitam* in contrarium mihi objicere paras, hac enim gnome clarè ſatis edicitur, quod præcepta divina via quædam anguſta, difficilis, & laborioſa ſint, per quam vita æterna aditi poſſit: Ac proinde ſilebo & ego, ſinamque ut loco meo reſpondeat Dionyſius Carthuſianus: Audi igitur difficultatis tuæ promptam reſolutionem: *Punque & idem eſt anguſtum, laborioſum, & gratum. Sed quibus? Incipienti, imperfecto, & ſpiritua-lem conſolationem nondum experto: quod tamen latum, jucundum, & leve eſt exercitato, proficienti, perfecto, & habituato in bono.* Enimverò ſi infirmus aliquis mel ore ſuo accipiat, idipſum amarum ei & faſtidioſum eſſe videbitur, cum tamen iis qui ſani ſunt dulce ſit & amabile. David qui illud primis ut ajunt labris tantum deguſtarat, ſatiari præcepto Dei non poterat dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*: tibi autem, qui ſtomachum habes corruptum & affectum, ipſum quoque manna, cicuta, antimonium, vel toxicum eſſe videtur: *Denique* (concludit idem Doctor) *mandata atque conſilia Chriſti ex ſua natura dulcia extant, & levia quamvis* (nota) *per comparationem ad noſtram fragilitatem, & pronitatem in malum difficulter in principio impleantur.* Psal. 118. Dionyſ. ib.

16. Etenim omnes effugiis tuis vias & aditus obſtruere contendam, ut tandem quaſi manu palpare ſenſibiliter poſſis, longè laborioſius eſſe præcepta Dei tranſgredi, quàm iiſdem per obſervantiam obtemperare. Familiariter igitur ad invicem ambo diſcurramus. Adeſto igitur, ô peccator, quodnam eſt primum à Deo tibi impoſitum mandatum? *Unum cole Deum*, uni ſolique Domino obſequere. Nota uni ſoli, & non pluribus: Et tu illum idololatraris ſpecioſum vultum, aurum illud adoras. Deus tibi præcepit ut uni ſervias, & tu teipſum multorum vis facere mancipium: quis autem ignorat majoris difficultatis eſſe pluribus quam uni inſervire? vult Deus ut tu feſtivis diebus aliquam à laboribus tuis habeas requiem, atque ideò ab omnibus deſiſtas operibus ſervilibus, utque à curis & moleſtiis ſolutus nonnihil otieris, domi tuæ ſedendo, vel in Eccleſia aliqua ſive Coronam dicendo, ſive divinum auſcultando officium, ſive ſuavi Muſicæ harmonia perfruendo tempus utiliter teras *Sabbatha ſanctifices*. Dic igitur ſodes, nunquid hoc totum facilius eſt minuſque laborioſum, quam ad ſummam laſſitudinem uſque hærere in agris, vel ligone vel aratro terram ſulcando, vel in urbe in corde æſtatis in officina circumcurſando, vel aliis moleſtis exercitiis vacando quibus vultu totoque corpore præ ſudore nimio madeſcere cogaris? Præcipit tibi Deus ut Genitores tuos venereris & ames, quæ actio grata eſt atque amabilis, hominiſque conditioni valdè conſentanea, quam ipſæmet quoque beſtiæ ex inſtinctu naturali obſervant. Enimverò ſi contrarium tibi Deus imponeret, cauſam haberes reluctandi, eo quod contrarium ſenſualitati ſanguinis pariter & dictamini rationis repugnet,

pugnet, teque excuſare poſſes dicendo eſſe præceptum arduum nimis & difficilè, quodque non auſis odio & contemptu proſequi illos à quibus eſſe tuum naturale tanquam ab origine accepiſti, quique tantis cum moleſtiis in ætate tenera te educarunt, teque illos non valentem redamare, tenero adeò amore fuere proſecuti: atque ideò neque hæc mens eſt legislatoris noſtri: imò te ad eos amandos & honorandos arctiſſimè vult eſſe obligatum: *Habeas in honore parentes*, id quod ingratum tibi eſſe non poteſt, ſed libenter facis. O quantum eſt faſtidium tibi qui inimicum tuum perſequeris uſque ad mortem perpetuam in corde tuo deferre iræ & irreconciliabilis odii æruginem. Vellem etenim a te ſcire, quã nnam complacentiam vel utilitatem in eo habeas quod in perpetuis vivas ſuſpicionibus mali ab aliis tibi inferendi; omnis bolus quem comedis, toxicum tibi eſſe videtur: nocturno tempore vel non dormis, vel ſomnos pateris frequentiſſimè interruptos: lacerat tibi rabies cor tuum, nec vel ullum habere potes quietis momentum, inter malleum & incudem perpetuo hæres, timor te obſidet, rancor te perſequitur, ex unicæ frondis motu perterreris; amicis diffidis, nullam tibi etiam apud cognatos ſecuritatem promittere audes, imò temetipſum times. O quam eſt hæc infœlix vita! imò non eſt vita, ſed mors quavis alia morte calamitoſior. Unde Chryſoſt ait: *Quid miſerius? vitam gementes atque trementes iſti mihi vivere videntur.* Deus quoque per hoc præceptum: *Non occides*, ab omni malo te ſalvat, atque ab omnibus ærumnis liberat. Et tu dicere auderes Divina præcepta quæ ſunt media tuæ ſaluti proportionata, difficilia eſſe, magnumque ſecum onus ac moleſtias inducere? ac proinde temetipſum tibi ipſi teſtem eſſe volo, poſtquam mente tua per omnes alios diſcurreris. Aut ſi hæ tibi rationes ſatisfaciant, teque omninò convincant, cur igitur pertinaciter de tua ſalute deſperas? Muta vitam odiendo vitium, & virtutem amando, ex omni culparum nexu te exime, & noli timere; neque enim tu primus futurus eris, qui è voraci lupo in manſuetam transformaberis oviculam, ut earum gregi annumereris, de quibus cœleſtis paradiſi Paſtor dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.*

*Chryſ. in c. 12. Matth. hom. 40.*

17. Verùm enimverò videor mihi videre quod ex hactenus dictis juſti nimiam concipiant animoſitatem atque fiduciam, certò ſe ſecuros exiſtimantes, quod ab ovili Chriſti abalienari aut errare, aut inter aduncos ſathanici lupi ungues redigi non poſſunt. Ac proinde ſciendum eſt illis, quod ſæpenumero is qui nimium confidit, facilè quoque decipiatur: *Ovem te putas, hircum te forte novit Deus*, inquit S. Pater noſter Auguſt. Quamdiu naves non appulerunt in portu, ſemper in continuo ſunt periculo: *Mare vertitur eodem die, ubi luſerunt navigia* dicebat Seneca. Hodie meſſis copioſa futura eſſe videtur, verumtamen priuſquam falce demetatur, superveniens ſæva quædam tempeſtas contritis ſpicis & ariſtis, omnem tibi ademptam ſpem in agro ſepelit: *In ſegetibus nolite nimiam ſpem habere*, ut ſuadet Agellius. Omne tempus quantumvis ſerenum ex improviſo turbatur: *A mane uſque ad veſperam immutabitur tempus.* Cum Trojani jam cantarent victoriam, ab hoſtibus ex improviſo irruentibus proſtrati ſunt, atque inter ſtrages & flammas perditos ſe, fugitivos & mortuos eſſe viderunt.

18. Perſæ de reportanda adverſus Athenienſes victoria adeò ſe certos eſſe exiſtimabant ut procedentes ad prælium, lapides quoque ſecum attulerint, quibuſcum in gloriæ ſuæ memoriam arcum quendam triumphalem erigerent: at verò ante victoriam cecinerunt triumphum, nam ſecus ac opinabantur eiſdem evenit, adeò ut Perſis totaliter profligatis ac cæſis Athenienſes lapidibus illis uſi fuerint ad erigendum propter obtentam victoriæ palmam ſolemne trophæum, quo fine lapides Phidiæ conſignati fuere, in quibus Nemeſiæ quæ Dea eſt vindictæ ſtatuam inſculpſit. Hinc eſt quod Anaxander ſalutare hoc poſt ſe cunctis reliquerit Ducibus monitum, ut ſcilicet timorem pectoribus ſuis impreſſum ubique circumferant, eo quod ex eodem fœliciſſimi perſæpè & fortunatiſſimi naſci eventus in bellis ſoleant: *Tu itaque caſtram brevi comprimas ſpatio, hoſtibuſque ad pugnam provocantibus conglobatum tenebis militem tanquam tuæ paucitati diffidens.* Porrò videbitur forſitan multis, timorem & formidinem notabilem eſſe in magnatibus præcipuè defectum, utpote qui ignaviam & puſillanimitatem eorum arguat; verum decipitur quiſquis hac in re ita ſentit, quia timor quando moderatus & ſecundum rectam rationem regulatus eſt, laudem ſecum adfert, eo quod actus ſit virtutis & prudentiæ: *Moderato enim timore omnes Principes timere debent, ne aliquid inſurgat in regno, quod ejus bonum ſtatum depravare poſſit*, aſſerit Politicus ille. Et ratio eſt, quia timendo actiones noſtras cum majori deliberatione & cautela inſtituimus, & conſe-

quenter

quenter via illis ſternitur ad ſœliciorem habendum earundem eventum: *Nam ſi moderatus ſit timor diligentius agimus opera, per quæ fugere credimus timorem ill m.* Verum punctum iſtud obſecro in iis, quæ ad animæ ſtatum attinent, nonnihil attingamus, de quo Tertullianus loquens dicit: *Timor fundamentum ſalutis eſt, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus; contra ſi præſumamus neque timendo, neque cavendo difficilè ſalvi erimus: qui ſecurus agit, non eſt ſollicitus, non poſſidet tutam & firmam ſecuritatem, at qui ſollicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.*

19. Quamdiu in via ſumus, falli ſemper poſſumus, qui enim pugnat, nunquam certus eſſe poteſt de victoria. Quantumvis juſtus ſis & quemvis alium in ſanctitate præcedas, ſemper donec apprehenderis præmium, ex obvio quovis obice præcipitare & cadere, ſperatamque coronam perdere potes: *Nullus de vocatione præſumat, donec de electione ſuus ſecurus exiſtat,* ſcripſit Ludolphus Carthuſianus. Optimè igitur nos Nazianzenus cohortatur, ne unquam nos à timore divelli patiamur ad eum modum, quo nauclerus in mari ſemper ſe de naufragio periclitaturum eſſe veretur, tametſi auram habeat favorabilem, & ventus puppim impellat: *Dum ſecundo vento navigas naufragium time; & tutior à naufragio eris adjutorem & ſocium tibi timorem adſciſcens.* Nonnunquam enim eximius prudentiæ actus eſt ipſamet quoque ſuſpectam habere ſecuritatem.

20. Enimverò qualis fuerit Iſaiaci erga Abrahamum patrem ſuum obedientia, & reverentia erga Deum, omnibus ex ſacra Scriptura manifeſtè conſtat. Sanctus namque Patriarcha à Deo cæliti mandatum accepit filium ſuum ſacrificandi, quod jam morte executioni mandaturus ædificavit Altare, ligniſque eidem ſuperimpoſitis ad filium ſuum converſus eum oculis pietate paterna plenis aſpexit, eidemque ducto ex imo pectore ſuſpirio dixit: ô chariſſimum viſcerum meorum pignus? neceſſum eſt ut hujuſce ſacri holocauſti tu ipſemet victima fias? Ad ſerviendum totius univerſi Creatori in hunc mundum nati ſumus; is etenim eſt qui hæcce obſequia requirit à te & à me ſibi exhiberi prætendit. Ambo inexcuſabilem commiſſuri eſſemus errorem niſi pareremus, ego quidem renitendo, tu verò reluctando. Cui Iſaac promptè reſpondit, ſunt hi divinæ pietatis noſtros affectus non dedignantis effectus. Ipſe voluntatis meæ abſolutus eſt Dominus: nam dum hanc mihi vitam donavit, illam denuò mihi pro ſuo beneplacito eripiendi dominium & libertatem ſibi retinuit, atque ideò cum hanc à me in præſentia repetere placeat, hiſce duabus vinctis manibus meis ſuper Altare collocatis eandem ipſi præſento, & in tot receptorum beneficiorum agnitionem, cum memet ipſo mekus nihil poſſideam, memetipſum ei libentiſſimè offero & conſecro. Cur igitur moraris, ô Pater? Ecce nudum pectus meum, tu manu tua enſem in me ſtringito, per jugulumque meum illum tranſadigens me quantocius ad Dei honorem mactato. Quid hic faciat bonus ſenecio? Manus inprimis eidem ligat: *Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in Altare ſuper ſtruem lignorum.* Gen. 22. Verum enimverò dicat hic aliquis: victimæ tunc alligari ſolent, quando victima invita & coacta ad Altare deducitur, cùm igitur tuus, ô Abraham, filius promptiſſimè ad mortem ſubeundam ſe offerat, cur illum tam fortiter vincire incipis? Cur manus illius adeò ſtrictè ligas, qui ſe erga Deum perpetuæ obligationis nodo vinctum eſſe agnoſcit? Num fortè Abraham de Iſaaci conſtantia non ſatis ſecurus extitit? Imò verò erat. Veruntamen quia negotium iſtud magni ponderis erat, ideò eum ligando timorem ſuum prodere exterius voluit: *Securus enim Pater optimus timuit,* inquit S. Zeno, ad inſinuandum, quod cùm actiones humanæ ut plurimum faciem ſuam perſæpè mutent, potius in nobis moderatus timor conſervandus ſit, quàm præſumenda ſecuritas nimia. Abraham quidem ſecurus erat, & tamen ſimul timebat. Quantumvis enim aſſidui atque fideles cœleſtis Principis ſervi ſimus, timere tamen ſemper debemus, ne dum ejus nos ſervitiis dedicati ſumus, ſive per negligentiam & incuriam, ſive per malitiam aliquis à nobis cum divinæ gratiæ jactura gravis error committatur: unde S. Auguſtinus optimè nos monet: *Vt non ſit ſervitiũ ſine timore.*

D. Zeno ſerm. 1. de Abraham.

Auguſt. 1. cap. 29. Soliloq. 2.

21. S. & melliſluus Eccleſiæ Doctor Bernardus cæli terreſtris paradiſi, & mundi hujus ſtatum conſiderans in nullo eorum firmam ſecuritatem inveniri poſſe, ſed in quolibet gravem nobis timendi cauſam eſſe aſſerit, tametſi omnes in nobis haberemus poſſibiles perfectionis & ſanctitatis gradus: *Nuſquam eſt ſecuritas, fratres, neque in cælo, neque in paradiſo, minus in mundo.* Porrò tria hæc à S. Patre inſinuata loca nonnihil fixius conſideremus & obſervemus. Etenim Apoſtoli authoritate & virtute eiſdem à Filio Dei conceſſa, patrabant miracula, & ſtupenda operabantur prodigia, nunc curando infirmos, nunc cæcos illuminando, nunc ex-

Bernard. ſerm. de ligno ſano & ſtipulas.

pellendo

pellendo dæmones, mox mortuos reſuſcitando, unde aliquam ſibi arrogare videbantur jactantiam, ac proinde ſibi & Magiſtro ſuo congratulantes: *Reverſi ſunt cum gaudio dicentes Domine, etiam demonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo* : verum audite quale ab eo retulerint reſponſum: *Videbam ſathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Dicat hic aliquis, quænam eſt illa propoſitionis à Diſcipulis factæ cum dato à Magiſtro reſponſo connexio? quomodo inter ſe patrata ab Apoſtolis miracula & mirabilis ſathanæ è cælo lapſus & ruina conveniunt? Enimverò animadvertebat Dominus noſter Apoſtolos ab operibus ſuis arrogare ſibi gratiæ Divinæ ſecuritatem, atque ut ſalutarem illis timorem incuteret, ſathanæ lapſum ſive ruinam eiſdem ob oculos ponit, quaſi per hoc ſubinferre vellet. Quis ſe Lucifero ſecuriorem cenſere poterat, utpote qui cæli Empyrei incola, civis cælorum, & Princeps aulæ Dei, eo potiſſimum fine creatus erat, ut in altiſſimi conſpectu ſemper aſſiſteret? Et tamen ob nimiam de felicitate ſua conceptam ſecuritatem de cælo corruit, & æternâ felicitate amiſsâ, in profundam inferni abyſſum præcipitatus fuit. Quod ſi idem vobis evenire nolitis, timere & trepidare diſcite: *Gratulabantur aliquando Diſcipuli & complacebant ſibi in miraculis* (inquit S. Cyprianus) *gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent, ſed repreſſa eſt ab increpante ſimplicitatis eorum præſumptio. Videbam ſathanam, inquit, tanquam fulgur de cælo cadentem.*

*Luc.* 10.

*D. Cyprianus de jejun. & tent. f.* 461 *col.* 2.

22. Propheta Regius optimè obſervat ex quo motivo Divina pietas juſtos ſervos Dei, eorumque miſerias omnium bonorum abundantia tandem ſit reſtauratura, dum ait: *Et adjuvit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oves familias. Adjuvit ſublevando miſerum de afflictione, & poſuit in loco fæcundo ſicut oves, ut multiplicaretur in prole*, exponit S Athanaſius. Mox verò juſtos id videntes magnopere inde lætificandos eſſe ſubjungit, dicens: *Videbunt juſti & lætabuntur*; Et meritò quidem, ſiquidem omnes de bono alterius gaudere debemus, id enim faciendo inſignem exercemus actum charitatis. Veruntamen litera Græca & Gregorius Nyſſenus legunt: *Videbunt juſti & timebunt*, quæ lectio valdè eſt ad intelligendum difficilis. Cur enim juſtus timebit, ſi videat, quod ſuprema clementia pietate erga miſeriam & paupertatem ſuam mota beneficiis ſe locupletet? Si diceret, quod invidi *videbunt & timebunt*, tranſiret quidem, nunc autem de juſtis loquitur, quod obſtupeſco: veruntamen S. Gregorius Nyſſenus doctrina ſua hujuſce difficultatis mihi aperit intelligentiam; Quam proinde utpote propoſito noſtro aptè congruentem auſcultate. Dicit igitur: *Videbunt juſti & timebunt, quo ſignificat, juſtum dum oculos in tantam Dei benignitatem convertit, metuere: Nam cuſtodiendis bonis, non modicum præſidium eſt timor.*

*Pſal.* 106. *Athan* 16. *fol.* 357.

*Lect. Græc.*

*Greg. Nyſſ.*

23. Adam protoplaſtes in paradiſo deliciarum conſtitutus, ſeque à Creatore ſuo omnibus fortunæ bonis, omnibuſque ad animam ſpectantibus divitiis locupletatum cernens animo erat quieto ac tranquillo, nihil etenim minus metuebat quam id quod tandem ei accidit, ſcilicet miſerabilem Divinæ gratiæ & amicitiæ, juſtitiæ originalis, eorumque donorum quæ à benigna altiſſimi liberalitate ei conceſſa fuerant, jacturam. Super hac infelici ſecuritatis ſuæ baſi paulatim crevit peſſimorum conſiliorum & cogitationum ſuarum machina, quaſi enim dicere intra ſe videbatur: Quid mihi nunc timendum ſupereſt, cui aura gratiæ cœleſtis tam conſtanter favet? Cur mihi haſce inter delitias conſtituto ſecuritatem comitem ſemper habere non liceat, qui illius in me DEI imaginem refero, qui me creavit? Ipſe etenim nequaquam eſt variabilis, ac proinde cum omnium viventium me conſtituerit Dominum, impoſſibile eſt ut à fœlici hocce ſtatu dejiciar. Verum enimverò, ô Adam, fallacem tibi præſuppoſitionem ſubſtruxiſti, ſiquidem quando in tua volebas fœlici conditione conſtanter perſeverare, neceſſarium erat ut anxiè timeres, ne illam perderes: *Quàm miſera mutatio fuit! de delicis ad ſpinas & tribulos emigravit*, inquit S. Cyprianus. Poſtquam verò malo ſuo cautior eſſe didiciſſet, Authori totius univerſi obviam factus clarè ſatis ſignificavit, ſe omnem è pectore ſuo exulare juſſiſſe ſecuritatem, timore in ejus locum ſubintroducto: *Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui.* Optimè igitur nos S Hieronymus docet, dum ait: *Quod nunquam tuta eſt humana fragilitas, & quantò magis virtutibus creſcimus, tantò magis timere debemus ne de ſublimibus corruamus.*

24. Quod ſi igitur ad incutiendam nobis timoris cautelam tales eventus de cæli incolis terreſtriſque paradiſi habitatoribus leguntur; quid de mundanis dicemus, qui in continuo degunt præcipitii ſui periculo? Enimverò S Paulus aliquando à carnalis ſenſualitatis incentivis infeſtabatur, quando Deus eum nil ſiniſtri timere juſſit, utpote quem gratia ſua ab omni fecerat periculo immunem: *Sufficit tibi Paule gratia mea.*

mea. Et tamen membra ſua continuis diſciplinis macerabat & conficiebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*; ſed cur: *Ne fortè cùm aliis prædicavero ipſe reprobus efficiar.* Verùm, ô Paule, quorſum tendit ditus hic corpus tuũ flagellis dilacerandi modus? ſiquidẽ Divinæ gratiæ aſſiſtentia nunquam tibi deerit, Deus eternæ infallibilis veritatis ſuæ verbo id tibi promiſit, ac proinde ſecurus eſto, quod corpus tuum ad expugnandam rationem cum carnali ſenſualitate nunquam conſpirabit; ex quonam igitur motivo adeò erga temetipſum rigidus exiſtis? Veruntamen alia eſt mens S. Apoſtoli, tametſi enim firmiter in Deum ſperet, atque confidat, nihilominus ex quo viator eſt, minimè ſe ſecurum eſſe exiſtimat. Ita etenim ejus mentem interpretatur S. Gregorius, dicens: *Ecce ar-[illegible] ſibi divinæ gratiæ jam credit per ſpem, & necdum tamen credit per ſecuritatem.* Senex ille Simeon, qui tanquam ſanctus in Scriptura canonizatur, quique velut alter Atlas in ulnis ſuis non mundum, ſed authorem & Conditorem totius univerſi ſuſtinere meruit, hic inquam per antonomaſiam juſtus appellatur, ſed eum etiam timoratum fuiſſe protinus ſubjungitur: *homo juſtus & timoratus.* Unde Galfredus ait: *Memoria quod timuerit juſtus, in quo Spiritus S. erat: Theſaurũ magnum habebat in vaſe fictili, & timoratum fuiſſe miraris?* S. quoque Hieronymus tanta ſanctitate prædictus, ut ejus cilicio tres fuerint mortui reſuſcitati, is inquã hac ſua ſãctitate [illegible] expreſsè dixit, quod ſi Chriſtus ſe verbis quibus Centurionem dignatus fuerat alloqueretur, periturus eſſet: *Si diceret mihi Dominus, fiat tibi ſicut credidiſti, peribo.* Poſtquam etiam S. Hilarion ſeptuaginta Divinæ ſervitutis annos intra horridas deſerti ſolitudines tranſegiſſet, ſolis victitans radicibus & herbis, aſperrimoque cilicio veſtitus, tandem anima ejus eo momento quo de ſua ſalute maximè debebat eſſe ſecura, timere ac trepidare cœpit, adeò ut ſibimetipſi animum ſuggerere debuerit hiſce verbis: *Egredere anima mea, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſerviviſti Chriſto, & mortem times?*

25. Dic igitur ſodes, ô Chriſtiane, quamnam habes multum de ſalute tua te aſſecurandi cauſam? Num fortè ſecuritas hæc tibi ſubnaſcitur ad ea quæ facis virtuoſa opera reſpiciendo? nimirum ad Eleemoſynas, ad jejunia, ad aſſiduam Eccleſiarum & oratoriorum frequentationem, vel ad familiæ ſuſtentationem quam gravi labore moliris, ne moriatur fame, aut aliàs peſſum eat? aut quia rigidus es ſanctiſſimorum præceptorum obſervator? At verò ſi etiam hæc omnia & longè plura & excellentiora faceres, nihilominus tamen quis ſecuritatem tibi infallibilem promittet, quod ne unicum quidem, idque in eo, quo moriturus es, inſtanti commiſſurus ſis mortale peccatum? Eheu quot ſunt qui in hac vita te longè fuẽre meliores atque perfectiores, qui tamen tandem miſerè præcipitati ſunt, & in præſentiarum in inferno degunt præſciti & condemnati? Crede idipſum S. P. noſtro Auguſtino dicenti: *Vidimus multos Domine, ex Patribus noſtris, quos utique ſine magno timore non recolo, ſine multo timore non confiteor aſcendiſſe primitus quodammodo uſque ad cælos, inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe uſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe, vidimus ſtellas de cælo deſcendiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis.* D. Aug. ibid. Siſtamus hic Auditores, vos autem pauperibus Eleemoſynam quandam erogate, hæc enim vobis optimè ſerviet, ſi non ad ſalutem veſtram aſſecurandam, ſaltem ad minus ad eandem velut per conjecturam probabiliſſimam firmiter ſperandam, voſque de grege Chriſti oves eſſe manifeſtè teſtabitur.

## PARS SECUNDA.

26. EVentus mundi hujus faciem ſuam ſæpenumero mutant, exitumque habent ſæpè omninò oppoſitum ei, quem homo cogitationibus ſuis ſibi perſuaſerat. Eſt enim Pater aliquis, qui duos habeat filios, quorum unus vivacis & alacris, alter verò ſtolidi ac ſtupidi eſt ingenii, qui tamen adultiores facti, animi ſui qualitates prorſus in diverſa commutant, adeò ut qui antea alacer, poſtea ignavus, qui prius ſtolidus, poſtea fiat ingenio ſuo perſpiciſſimus. Idipſum quoq; accidere nonnunquam ſolet in ſtatu perfectionis. Unde Sanctus Pater noſter Auguſtinus dicebat: *De quo deſperamus, ſubitò convertitur, & fit optimus: de quo multum præſumpſeramus, deficit & fit peſſimus: Nec tir. 7 noſter certus eſt, nec amor.* D. Aug. ibid. Enimverò, ô Auditores, in hortum Gethſemani mecum, ſi ita libet, abitote, ibidemque Apoſtolorum actiones devota quadam curioſitate obſervate, præcipuè verò quæ à Sancto Petro & Joanne fiant, ſiquidem hi duo diverſiſſimos ſe ab iis qui antea fuerant, per actiones ſuas eſſe proba-

probarunt. Petrus etenim in principio intrepidus & animoſus milites aggreditur, tantaque cum animi generoſitate ſeſe Magiſtri ſui defenſioni & propugnationi ingerit, ut tandem ipſæmet inimicorum turbæ eum fuerint admiratæ, videt Dominum ſuum velut agnum manſuetum vinculis adſtrictum & vinctum alio abduci, & tamen pede ſuo illum proſequitur pariter
Matth. 26 & oculo: *Petrus autem ſequebatur eum à longè, uſque in atrium Principis Sacedotum*, ô Petrum generoſum non minus quàm amore ferventem! At verò Joannes dilectus Chriſti Diſcipulus qualiter ſeſe habet? quas exercuit actiones, in demonſtrationem illius affectus quo ſuum Creatorem eſt proſecutus; nam ut
D. Greg. ait Sanctus Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Num fortè inter milites Chriſto violentiam inferentes mediatorem ſe interponit, aut eorum ferocitatem compeſcere contendit? aut tanquam intimus Chriſti amicus, ad aliquale ejus ſolatium, ſe ad mortem uſque conſectaturum eſſe promittit? Imò verò omninò contrarium præſtitit, ex tumultu namque invadentis Chriſtum militis perterrefactus & longè magis ex crudelitate erga Chriſtum ab
Marc. 14. eodem milite exercita conſternatus, trepidare & fuga saluti ſuæ turpiter conſulere cœpit: *At ille rejecta ſindone nudus profugit ab iis.* Ehem quid de te audio, ô Joannes, nil minùs quàm hoc te facturum eſſe credidiſſem; Quia etenim juvenili adhuc ſanguine cales audacem & inſtar leonis generoſum te futurum fuiſſe credidiſſem, quem nunc quovis lepore meticuloſiorem eſſe comperio; omninò exiſtimaſſem, quod præ cæleſtis Magiſtri tui, te haud ſecus ac ſemetipſum amantis amore, tuum pro eo ſanguinem & vitam in diſcrimen poſiturus fuiſſes: Nunc autem ex eorum te amicorum numero eſſe experior, qui fortuna favente amici ſunt, eadem autem in ſiniſtram & adverſam commutatâ amicitiæ priſtinæ renuntiant, verum conſiderate utrumque hunc diſcipulum attentius, & cum ſtupore videbitis quàm facilè, quàmque ſubitò negotia humana faciem ſuam & ſtatum commutent. Petrus enim cadit, Joannes autem ſolidè ſubſiſtit: Petrus negat, Joannes autem confitetur. Petrus gratiam Dei amittit, Joannes verò eandem adauget: Petrus fit Chriſti inimicus expreſsè proteſtando quod Magiſtrum ſuum non cognoſcat: *Cœpit anathematizare & jurare, quia neſcio hominē iſtū.* At verò unde ingens hæc ſubnaſcitur diverſitas? Enimverò inde præcipuè idipſum procedere exiſtimarem, quod ſcilicet Petrus nimis fuerit de ſua conſtantia ſecurus, Joannes verò pro eadem ſemper pavidus fuerit & timidus: *Petrus quia fugere noluit, abnegavit: Ioannes, ne abnegeret, aufugit*, concludit Chryſolog.

27. Magnus ille Chryſoſtomus mundum, quo S. Matthæus principium proditionis Judæ refert, accuratè conſiderat; Dicit enim, quod cùm JESUS in Bethania in domo Simonis leproſi conſtitutus eſſet: *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariothes ad Principes Sacerdotum &c.* Scite etenim perceperem, ad quodnam tempus, vel ad quam actionem adverbium illud *Tunc* referatur. Et quidem quavis alia, quæ in medium adduci poſſet, expoſitione ſepoſita, uni illi tantum adhæreſco, quam ſupra nominatus aſſignat Chryſoſt. qui dicit, quod adverbium *Tunc*, correſpondeat ingreſſui Magdalenæ in domum Simonis leproſi, quaſi ſacer Evangeliſta vellet dicere: ô facinus ſumma admiratione & ſtupore digniſſimum, eo tempore quo mulier mala fama laborans, utpote publica meretrix, ac proinde abominabilis mundo, Deoque exoſa domum Simonis ingreditur, ut convertatur, & Salvatoris Apoſtata fiat: *Tunc* unus ex duodecim, Apoſtolus Chriſti fit apoſtata. Videte igitur ſtupendam viciſſitudinem, eodem prorſus tempore quo mulier quædam Inferno relicto ingreditur Paradiſum, quidam ex diſcipulis Chriſti relicto Paradiſo præcipitatur in Infernum. Ecce tibi ipſiſſimam Chryſoſtomi doctrinam *Non enim ſimpliciter abiit, ſed addit & Tunc, inquit, abiit*, id eſt, eo momento quo peccatrix pedem ſuum in limen portæ collocavit ad ingrediendum, Judas ut inde egrederetur pedem ſuum extulit: *Paulò antè meretrix, ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnovit, & quando proſtituta lupanar exivit, tunc diſcipulus gehennam intravit.* Unde Chryſoſtomus hoc pro peccatoribus elicit documentum, quod nimirum peccatores, eventum qui Magdalenæ accidit, ſibi ob oculos ponentes non debeant diffidere: è contra verò amici Dei ad lapſum Judæ debeant reflectere, ne nimium de ſalute confidant, & ſecuri exiſtant: *Non ergò videndo meretricem de tua liberatione deſperes, ſed & Iudam cogitando non debes eſſe ſecurus, utrumque periculoſum eſt; & confidentia & deſperatio, nam confidentia ſtantem evertit; & iterum deſperatio poſt lapſum non admittit exurgere.* Diſcipulus

*ciculus cùm ſe ſtare putaret, cecidit meretrix, cùm ſe cecidiſſe arbitraretur, exſurrexit.*

28 Dum frigoris rigoribus per turbidi Aquilonis gelu flumina congelaſſent, & ſtagna ob nimiam glaciem in petram converſa eſſe viderentur, accidit, quod vivente Lucinio Imperatore juſſu Agricolai Præſidis Sebaſtæ civitatis Armeniæ, quadraginta validi juvenes ſub vexillo fidei Chriſti militantes nudo corpore in gelidas aquas immitterentur. Quorum unus poſt libenter & patienter toleratos carceris ſqualores, & lapidibus excuſſos ſibi dentes, huic gelidiſſimorum aquarum ſupplicio non valens reſiſtere, eadem que ex Diaboli perſuáſione inde egrediens, coronam amiſit martyrii & damnatus eſt. Eodemque tempore (id quod mihi illi, quod Magdaleonam inter & Judam accidit, ſimillimum videtur) oſtiarius carceris, eorundem cuſtodiæ deſtinatus, Angelos vidit de cœlo deſcendentes, qui triginta novem hiſce Martyribus deferebant coronas, adeoque unum ad quadragenarium numerum complendum deeſſe notans intra ſemetipſum dixit: *Quadraginta hi ſunt, quadrageſimi Corona ubi eſt?* Cumque oculos ſuos in Martyres deflecteret, vidit unum illorum è gelidis aquis egreſſum à cæterorum conſtantia & numero defeciſſe. *Verum Deus illorum preces irritas eſſe non eſt paſſus*, nam oſtiarius ille cuſtos carceris ſuis veſtibus ad nudum uſque corpus exuens, aquis illis quæ præ nimio frigore congelare cœperant, ſe immittendo, ſacrum hunc quadraginta Martyrum numerum illuſtravit. Unde S. Gregorius Nyſſenus ait: *Qua ratione pro eo qui à Diabolo ſubductus erat, ad ſupplendum numerum cuſtos carceris à gratia introductus reliquis adjunctus eſt.* O Magne Deus! quænam ſunt hæc myſteria? unus in uno eodemque momento martyrii & gloriæ coronam amittit, in quo alius quidam infidelis eandem acquirit: unus qui jam in limine Paradiſi conſtitutus eſſe cenſebatur, deturbatur in Infernum, alter verò ab inferno egreſſus glorioſè ingreditur Paradiſum.

29. Tandem diſcurſum hunc per hiſtoriam quandam à S. Fulgentio relatam terminare conſtitui. Refert igitur magnus hic Sanctus de duabus mulieribus, quarum una Catholica altera pagana erat, ambas ſcilicet in uno eodemque inſtanti duos peperiſſe filios maſculos, Catholica autem quæ infantulum ſibi natum viſceroſiſſimè amabat, omnem adhibebat operam, ut quantocius baptiſmali unda ablueretur, ſed irrito prorſus effectu in hoc laboravit, quia priuſquam ad Eccleſiam referretur, mortuus eſt tenellus ejus infantulus, unde afflicta & deſolata Mater dolore ſe conficiens eundem poſt mortem lachrymis baptizare voluiſſe videbatur: Altera verò pagana nihil de nato ſuo curabat infantulo, nec quoad eſſe Phyſicum corporalis vitæ, nec quoad eſſe mortale animæ. Quid mihi aut filio meo de Baptiſmo intereſt, ajebat, dummodo filiolus meus in eodem ſtatu mecum vivat, in quo eum huic mundo peperi, ſufficit id mihi? Hic igitur filius vivus & incolumis permanſit, & poſt elapſos aliquot annos ex pagano fidelis factus, legitimè eſt baptizatus. Quid Vobis de occulto hoc Dei judicio in hiſce duobus infantulis exercito videtur? Unus eſt partus matris fidelis & Chriſtianæ, ſuique filii amantiſſimæ, quæ ad ſalutem ejus procurandam nullum non adhibuit remedium, & tamen ſalutem ei deſideratam non obtinuit; & contrarium alteri accidit. Conſidera igitur & tu quod licet inter fideles orthodoxos in gremio ſanctæ Eccleſiæ natus ſis, & Deo familiaris exiſtas, utpote cum quo quotidie tractas & familiariter in oratione converſaris, cave tamen ne ob id te ſecurum exiſtimando gratiam Dei admittas, & eondemneris. Tu quoque ô peccator conſidera, filium mulieris paganæ à ſalute fuiſſe alieniſſimum, & tamen baptizatum & in virtute Divinæ gratiæ conſecutum Paradiſum. Ac proinde bono ſis animo, & licet peccator exiſtas, hoc tamen nequaquam te à ſpe ſalutis tuæ dejiciat, quia ſi numero & gregi ovium Chriſti ſeriò aggregari velis, ſcito quod Paſtor cæleſtis te præſtolabitur, tuamque reſipiſcentiam avidè deſiderabit, quodſi autem deſiderium hoc Chriſti ſuum non ſortiatur effectum, defectus ille tibi ſoli attribuendus erit: *Perditio tua ex te.*